

per vim adducerentur, legatione fungi; quando quidem ipse Theodericus idem adversus catholicos Italiae incolas commissurum minabatur; Joannes itaque Byzantium etc. (Theoph., *Chronograph. an Christi* 524).

(36) De Joanne episcopo, quoniam agon ejus ad nos usque non accessit scriptus, quae a fidelibus comperi, tacere nequivi.

Hic, quum ad episcopatum venisset, summo studio haereticos exsecrans, ecclesias eorum in catholicas dedicavit. Quod, quum Theodericus rex comperisset, furore succensus, quia esset sectae arianæ deditus, jussit gladiatores per Italiam dirigi, qui universum quotquot invenissent, catholicum populum jugularent. Haec audiens beatus Joannes, ad regem, ne haec fierent deprecaturus, accessit. A quo, cum dolo susceptus est: alligavit eum et posuit in carcerem, dicens: ego te faciam, ne audeas contra sectam nostram amplius mussitare.

Positus vero sanctus Dei in carcerem, tantis adstrictus est injuriis, ut non post multum tempus spiritum exhalaret. (Gregorius, Turonensis episcopus, *De Gloria Martyrum*, lib. I, cap. 40).

(37) Qui, pervenientes ad Augustum, quum ab eo, ut dignum erat, suscepti essent, magnis cum de sua suorumque salute solliciti fletibus postulant, ut suae legationi seriem, quamquam esset injusta, libenter exciperet, Italiaeque periturae consuleret. Quorum fletibus Justinus permolus, eis quod petebant concessit, arianosque sui juris reliquit. (*Historia Miscel.*, lib. XV, ad an. VI Justinii).

(38) Justinus autem Augustus omnem concessit petitionem, et propter sanguinem Romanorum reddidit haereticis ecclesias, secundum voluntatem Theoderici, regis haeretici; ne christiani maxime sacerdotes ad gladium mitterentur. (Auctor Chron. *Vit. pontificum*).

(39) Joannes, episcopus, omnibus per provincias Italiae constitutis episcopis in Domino, salutem.

Quapropter, fratres, hortor vos et moneo contra arianam perfidiam, quae olim non semel, sed saepe damnata est, et